

*Pax, pax et non est pax, vereor ne de nobis verificetur illud Jer. V. Percussisti eos et non doluerunt, attrivisti ego, et renuerunt accipere disciplinam: induraverunt facies suas supra petram et noluerunt reverti.*

Quod si igitur auferri a nobis flagellum volumus, non murmuremus contra Deum: hæc enim ratione aggravabimus potius manum Dei super nos, et cum Israelitis murmurantibus diutius affligemur. Quam ob causam dixit Moyses illis, Exod. XVII. *Cur tentatis Deum, q. d. non est hic modus propitiandi Deum, qui murmurare exacerbatur, oratione potius placatur. Oremus igitur potius Deum et agnoscamus nos hæc commeruisse; deinde, mores emendemus, et quod peccavimus, bonis operibus eluamus.* Sic enim Isa. 1. ait Dominus: *Quærite iudicium, subvenite oppresso, iudicate pupillo, defendite viduam. Et venite, et arguite me, dicit Dominus: si volueritis et audieritis me, bona terræ comedetis. Quod si nolueritis et me ad iracundiam provocaveritis, gladius devorabit vos.* Quod a nobis avertat Deus.

## CONCIO IV.

I. Sunt aves dæmonis cantatrices. — II. Sunt aves ejus garrulæ. — III. Sunt aves ejus prædatores. — IV. Sunt aves ejus venatoriæ. — V. Sunt aves illices. — VI. Sunt aves ejus furciferæ. — VII. Sunt aves ejus altilles.

## THEMA.

*Quia hic peccatores recipit, et manducat cum illis.*  
Luc. XIV.

Proverbio vernaculo dicimus: Quo diabolus non penetrat, eo mittit servos suos. Quod quam verum sit, vel ex una illa Davidis, historia patet, II. Reg. VI. ubi David maxima cum solemnitate, lætitia et devotione introducebat arcam foederis in civitatem suam, immolabat victimas, ludebat in organis, et saltabat totis viribus ante Dominum; quod tantum abest ut reprehendi meretur, ut etiam vehementer laudari. Nihilominus tamen dæmon, sciens nihil ibi reprehendi posse, instigavit ejus uxorem Michol, ut marito insultaret et detraheret propter opus illud laudabilissimum: *Quam gloriosus fuit hodie rex Israel, inquit, discooperiens se ante ancillas servorum suorum, et nudatus est quasi nudetur unus de scurris?* Jam quod Davidi factum, hoc ipsum hodie contingit Christo. Appropinquabant peccatores ad eum, Christus eos humaniter excipiebat. Quis hæc de re indignetur? Quis hoc carpatur? Si ægri ad medicum: si cæci ad lumen accedant? Non potuit hoc carpere dæmon. Mittit igitur suos servos, Phariseos, qui operi huic

honestissimo detrahant: *Quia hic peccatores recipit, et manducat cum illis, q. d. utique et hic peccator est ut illi, quia similis simili gaudet.* Videre mihi hic videor aquilam cum aviculis mausue te confidentem et prædam eis dividentem, altera ex parte corniculam ei insultantem quæ cum appropinquare ei non audeat, nec officere possit, detrahere ei et insultare partim sua loquacitate, partim volatu eam lecessere solet, ut testatur Pierius, I. XIX. hierogl. Aquila Christus qui aviculas comites facile secum patitur, et prædam eis suam partitur: corniculæ Pharisei et omnes detractores a diabolo subordinati et missi ut piis insultent. Jam vero quales sint hæc diaboli aves, audiamus.

I. Sunt aves diaboli cantatrices, quia cum ipsi in cavea diaboli inclusi sint, cantant ei: *Placebo, et quod diabolus libentissime audit hominum peccata et lapsus.* Hinc enim diabolus et detractor idem nomen sortiuntur in sacris litteris, diabolus enim calumniator dicitur: et I. Tim. III. detrahentes dicuntur diaboli: ubi apostolus ait oportere mulieres esse: *Non detrahentes, Græce non diabolicas.* Et merito quidem, nam diabolus primus detractorem fuit, siquidem ipsi Deo detraxit: *Nequaquam moriemini, etc.* Gen. III. Deum mendacem venditans. Ad hæc ob odium et invidiam erga homines ipse nil magis agit, quam ut homines calumniari et aliquando coram Deo accusare possit. Ad hoc enim circuit orbem universum, quemadmodum ipse ait ad Deum, Job 1. *Circuivi terram et perambulavi eam.* Quamobrem mox insinuat Deus dicens: *Numquid considerasti servum meum Job, quod non sit ei similis in terra? Quid ad hoc dæmon? Numquid Job frustra timet Deum? Nonne tu vallasti eum ac domum ejus, etc?* q. d. nequaquam laude dignus est, quia amicus tantum mensæ tuæ est. Ecce detractorem. Quemadmodum ergo sacerdos in ecclesia circuit cum aqua benedicta et aspergit ea fideles: ita diabolus circuit in mundo cum aqua detractionis sordida et maledicta, ut ea aspergat et collutulet homines. Unde bene Guilielmus Paraldus os detractoris vocat aquinarium diaboli, juxta id Psalm. XIII. *Quorum os maledictione plenum est.* Verum, sacerdos in facie, diabolus a tergo et clam homines aspergit. Quid igitur aliud detractores nisi canonici diaboli, qui ipso intonante, cantum strenue prosequuntur? Quid nisi filii patris, cujus et nomen habent et opificium? Quare merito Christus istis dicit, quod Judæis sibi detrahentibus et obgannientibus dixit, Joan. VIII. *Vos ex patre diabolo estis, et desideria patris vestri vultis facere. Ille homicida erat ab initio.* Quod autem est desiderium diaboli, nisi ut omnes homines sibi similes imo pejores faciat, calumnietur, mactet,

devoret? Nihilominus agunt detractores. Fama enim quam tollunt proximo: *Est vita quædam civilis, inquit Gerson, in proposit. an liceat gravato debet.* et D. Gregorius, I. XIV. moral. cap. XXV. *Hi etiam, inquit, quia alienæ vitæ detractione pascuntur. Sicis procul dubio carnibus saturantur.*

II. Sunt aves illius garrulæ, ut enim aves aliquæ semper garrunt, maxime quarum solutæ sunt linguæ, ut pica: produnt etiam quæcumque vident, audiunt, imitantur garritu voces humanas et aliorum animalium: ita detractores vivere ex garritu et detractione videntur, adeo semper aliquid habent quod carpant, ita festinant ad detrahendum, ita solerter aliorum mores taxant et delectantur hoc studio. Sedet quis otiosus domi, velut pica in cavea, et tamen intuetur et audit aliorum facta, moxque garrit eadem. Hujus rei similitudinem affert Sapiens, Eccles. XIX. *Sagitta infixa femori carnis sic verbum in ore stulti.* Ut enim sagitta infixa pedi nullam homini quietem concedit, donec extrahatur, quia semper pungit: ita et in detrahente latens scientia alienorum delictorum. Adeo enim vexatur, ut verbum id retinere vix ad horam possit; sed auditores inquirat, quibus id effundat; quemadmodum etiam sagitta confixus festinat ad chirurgum qui sagittam extrahat. Hinc Isy chius presbyter Hierosolymitanus, detractores comparat scabiosis, qui præ prurigine, requiem non habent, sed semper scabunt et carnem exulcerant: sic enim exponit legem Levit. XXI. quæ scabiosos ab omni sacro ministerio areet. Scabiosus namque nec in ipso sacro ministerio se contineret quin scaberet; ita et detractores coram quibusvis personis, locis, temporibus linguam a detractione cohibere nequeunt, adeo proelives ad detrahendum sunt: ac veluti mus semper aliquid rodit et inquinat, teste Pierio, I. XIII. ita et ipsi. Ad hæc nemini parcunt: *Venit enim Joannes, non manducans panem neque bibens vinum, et dicitis: Dæmonium habet: venit Filius hominis manducans et bibens, et dicitis: Ecce homo devorator et bibens vinum, amicus Publicanorum et peccatorum, ait Dominus, Luc. VII.*

III. Sunt aves illius prædatoriæ, deprædantur enim et rostro linguæ proximum fama bona deplumant, quæ: *Melior est quam divitiæ multæ, ut dicitur Prov. XXII.* Cujus rei figura habetur II. Reg. X. ubi David volens consolari Hanonem regem Ammonitarum super morte patris, misit legatos suos: sed Hanon leviter nimis persuasus, quasi exploratores essent, rasis dimidiam partem barbæ eorum et præscidit vestes eorum medias usque ad nates, et dimisit eos confusos turpiter valde. Quam rem adeo dure accepit

David, ut propterea ingentem stragem in eis fecerit quadraginta millia equitum et septem centum currum. Non edidit tantam stragem David etiam cum regnum ei ademptum esset; ut intelligatur detractionem omni rapinæ gravio rem esse. Hanon iste detractorum typus est. Quid enim faciunt isti? Novacula linguæ acutissima barbam bonæ famæ radunt et indumentum honestatis aliis præscindunt usque ad nates, quo videlicet turpitudine et confusio eorum appareat. Unde Psalm. LI. ait David: *Tota die injustitiam cogitavit lingua tua, sicut novacula acuta fecisti dolum.* Alloquitur calumniatorem illum Doegum, qui paucissimis verbis citissime persuasit Sauli, quasi Achimelech sacerdos cum Davide conjurasset. Ad hunc modum lingua citissime et paucis verbis velut novacula famam alteri abscondit: sed ne id facile advertatur, cogitat prius detractor, quomodo id cum dolo faciat, sicut fur antequam furetur: ita enim verba detractionis: *Componit et concinnat, ut loquitur Job, cap. VI.* ut omni invidia et odio carere videatur, et potius commiserationem vel laudem spiret, v. g. dicendo: *Hic cæteroqui optimus vir est, hoc tantum mali habet: vel: Miseret me boni viri, qui adeo lapsus sit, etc.* Sed noverit tamen iste, vix transvasari vinum de dolio in dolium, quinetiam simul fluant fæces: et similiter vix fieri posse, ut aliorum prava facta deferantur ad alios sine fæce detractionis. Præterea fures ut plurimum furantur ob egestatem: non ita detractor, sed ob meram malitiam. Unde acutior est et acerbior linguæ novacula, quam furti. Furtum denique facile est restitutionis, fama vero ablata difficillimæ: ut enim novacula barbam citissime radit, sed ea tarde repululatur; ita citissime auferitur fama, difficillime restituitur. Adhæret auribus audientium, etiamsi revocaveris, quam ob causam etiam in ss. litteris lingua maledica sagittæ vulneranti comparatur, quæ sagitta facile infigitur carni, sed non absque incisione et majori vulnere ac dolore, ob reluctantes uncos, extrahitur. Experientiam in testem voco; quis enim in tam frequenti et communi vitio audit aliquando, famam alteri ablatam restitui, veniam exorari, etc. Et tamen id omnino necessarium.

IV. Sunt aves illius venatoriæ, quæ discordias, gratissimum dæmoni spectaculum seminant, amant et desiderant, uti falcones, qui ad devectionem a principe aluntur, ut in alias aves pugnent et illis spectaculum jucundum exhibeant. Hoc idem faciunt detractores: quos ideo dæmon alit ut discordias per illos seminet, atque ita regnum nostrum instar sui dividat. Annon seminant discordias detractores, qui nos modo te apud multos odiosum conantur red-

dere, verum etiam te apud me, et me apud te? Ita enim Pharisæi modo Christo detrahunt apud discipulos: *Quare cum Publicanis et peccatoribus manducat magister vester*, Matth. XV. modo discipulis apud magistrum: *Quare discipuli tui transgrediuntur traditiones seniorum?* Quemadmodum enim agasones sal afferunt in urbem, et frumentum inde exportant; ita faciunt Pharisæi et detractores reliqui; tua peccata ad me, mea ad te ferunt. Unde recte S. Chrysostomus, hom. in Psalm. C. ait: *Qui detractio studet, diabolo servit, utpote qui calumniæ opera exequatur.* Eiusmodi agasones et nugigerulos mittit et alit per totum orbem dæmon, ut nullibi tuti simus. Quorum figura videntur fuisse ranæ illæ Ægyptiæ, Exod. VIII. quæ ubique homines infestabant ac dispergebant huc illuc fugientes pacemque familiarum turbabant: sive enim in forum prodisses, ranæ aderant; sive in palatium regis ivisses, ranas inveniebas; sive ad mensam condesisses, ranæ assidebant; sive in cubiculo te clausisses, ranæ per rimas penetrabant; sive in lecto iaceres, ranæ circumsiliebant; sive in furno lateres, ranas reperiebas. Ita et detractores in mundo omnia perrepunt, etiam aulas principum: ad Christum hodie et alibi in ejus collegium veniunt, pacem Ecclesiæ, domus, collegii vel civium undique turbant clandestinis suis coaxationibus, sicuti ranæ suis nocturnis clamoribus dormire volentes.

V. Sunt aves illius illices, quibus utitur ad decipiendos plures alios: sicut auceps una ave, quæ cantu suo alias sistit et adducit ad arborem visco vel decipula instructam, plurimas alias capit. Quis nescit quam illectorius sit detractorum cantus? Dum enim aliis detrahunt, audientes se laudari putant, vel sibi placent quod meliores sint: interim vero ipso capiuntur auditu; quo modo aliqui solo basilisci sibilo necantur, Pier. l. XIV. hierogl. *Detrahente an detrahentem audire*, inquit D. Bernardus, l. II. de considerat. *quid horum damnabilis sit, non facile dixerim.* Jam vero quo fidelius diabolo serviant et plures perdant, instar mercatorum, merces suas pestiferas ad nundinas portant, ad convivium, ad conventicula, etc. uti plures detractionum suarum auditores habeant et capiant: qua ex causa S. Gregorius, ho. XL. in evang. epulonem illum maxime in lingua tortum fuisse putat, quæ maledicentia fere in conviviis, quibus deditus erat, vigere soleat. Unde Prov. XXIII. dicitur: *Noli esse in conviviis potatorum, nec in commensationibus eorum, qui carnes ad vescendum conferunt, id est, qui derogationis verba vicissim in proximorum vitam dicunt*, ut ait Gregor. lib. XIV. moral. *Detractor itaque pestis quædam reipubl. est ac veluti canis rabidus in civitate,*

qui passim omnibus nocere studet, ideoque communi suffragio plectendus. Eamque bestiam esse putat glossa, quæ describitur, Dan. VII. *Terribilis, mirabilis et fortis nimis, dentes habens ferreos et cornua decem, comedens et comminuens et reliqua pedibus suis conculeans.* Glossæ adstipulatur Sapiens, qui Eccles. IX. ait: *Terribilis est in civitate sua vir linguosus, linguosus hic detractor est, quia lingua nocet, sicut aper dentibus, accipiter umguibus.* Quod si igitur canes rabidi, lupi et similes bestiæ nocentes communi auxilio et publica potestate capiuntur et obruncantur, fas etiam est uti magistratus in ejusmodi bestias severissime animadvertat. Id quod S. Basilius, reg. XVI. ex brevioribus convincit argumentis ex Ps. C. ubi dicitur: *Detrahentem secreto proximo suo, hunc persequer: scilicet detractores a reliquorum societate et consuetudine exterminandos.*

VI. Sunt aves furciferæ quæ cadaveribus vescuntur et patibula amant, uti vultures et corvi, qui foetidis tantum delectantur, eaque a longe olfaciunt. Ita enim Augustinus, lib. XII. contra Faustum, c. XX. detractorem corvo illi comparat, qui non est reversus ad arcam, sed cadaveribus natantibus in diluvio adhæsit, de uno in aliud volando, eaque lacerando. Virum vero bonum columbæ, quæ affert ramum viridem, id est, honestam proximi commendationem et laudem. Cæterum corvi mortuos tantum eosque expositos dumtaxat: detractores autem, vivos etiam rostro suo laniant et quandoque sepultos eruunt; ad hæc eorum defectus tantum notant: si quid vero boni in aliquo cernunt, id prætereunt et tacent, gallinæ instar, quæ eruens e terra auream monetam vel unionem non æstimat: sed ubi vermum reperit, illico glocitare incipit et convocare socias, prædamque eis ostentat. Viri boni si quid laudabile in aliquo cernunt, aspiciunt, extollunt, prædicant. Annon audivimus hodie mulierem, quæ inventa drachma convocavit amicas et vicinas ad congratulandum? Sed detractores, virtutes consulo prætereunt, imo supprimunt: vermes vero vitiorum, si quos inveniunt, traducunt, monstrant. In cuius rei figuram Achab toto corpore bene tectus et lorica indutus erat, præterquam uno in loco, forte ministri aliojus induentis negligentia: et percussus est sagitta in ea parte, quæ tecta non erat, III. Reg. ult. Ita licet quis omnibus sit instructus virtutibus, si vel in unico deficiat, jam sagittis detractionum patet. Quod idem significat lapis ille, Dan. II. qui cadendo supra statuam, non aureum illius caput, non argenteum ejus pectus, non æreum ejus ventrem, sed pedes ejus ferreos et luteos percussit. Nimirum volunt malevoli isti

## CONCIO V.

QUID FACIENDUM INTER DETRAHENTES.

- I. Modeste corrige detractorem. — II. Alio divertite sermonem. — III. Frontem corruga. — IV. Fuge si potes. — V. Obtura aures. — VI. Claude aures cordis per displicentiam.

## THEMA.

*Quia hic peccatores recipit, et manducat cum illis.*  
Luc. XIV.

Refert Petrus martyr in sumario rerum Indicarum, arbores esse in novo orbe, coppeas nomine, quarum folia papyri vicem præbeant; itaque cum incolis papyri et scriptionis nulla prorsus notitia esset, Hispanos, qui eo venerant, in foliis illis litteras exarare et sibi mutuo epistolas scribere consuevisse. Quæ cum subinde furta et fraudes incolarum et quidem latorum Hispanis, dum legerentur, aperirent ac loquerentur, territi insulares existimarunt ea folia, spiritu et loquendi facultate prædita, ideo circumspectabant undique metuentes, nec ausi sunt deinceps juxta eas arbores colloqui, quod occulta panderent et aliorum furta proderent, aliisque enarrarent. Arbores hæc, auditores, detractorum typi videntur mihi esse. Quid enim illorum linguæ nisi hujusmodi folia loquacia, quæ produunt et rodunt aliena scelera? Itaque juxta eas nemo facile stare, nemo eas audire, sed tremere potius et circumspectare fugam quisque deberet, ne vel sua vel proximorum scelera audiret, adeoque detractionis ac prodigionis, modo aliquo, particeps fieret. Nunc ergo videamus quid expediat facere, cum incidimus forte in hujusmodi arbores.

I. Modeste reprehende detrahentem. S. Augustinus, in loco refectionis scribi curavit majusculis:

Quisquis amat dictis absentum rodere vitam:  
Hanc mensam vetitam noverit esse sibi.

Et cum aliquando quidam invitati ab eo in mensa de alio loquerentur, ait illis: *Vel hos versus delete, vel detrahente abstinete, aut ego hinc facessam ad cubiculum meum*, Possidius, in ejus vita, c. XXI.

Bene etiam faceret quilibet paterfamilias, si hunc versum mensæ suæ inscriberet, vel saltem observari mandaret in domo sua. Sane tenetur paterfamilias cohibere et oburgare canem suum, quando in peregrinum provolat, petitque eum dentibus. Cur ergo non obligetur reprehendere domesticos suos cum detractionis dentes aliis infigunt? S. Chrysost. hom. III. ad popul. Antiochen. ait: «Dic proximo detrahenti: Habes quod laudes? Aures aperio, et unguem»

turpitudinem suam tegere, vel etiam se ornare aliorum fœditate.

VII. Sunt aves illius altiles quas in gehenna depascet: nam sicut auceps aviculas, quas diu in caveis retinuit et ad capturam aliarum adhibuit, tandem finito aucupii tempore jugulat et deplumat, assatasque devorat. Ita et diabolus faciet detractoribus, quos tandem deplumabit et igne æterno assabit. Audite Ps. CXIX. *Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam?* loquitur de blasphemia Sennacherib qui detrahebat Deo quasi non posset liberare Israel de manibus ejus, secundum Lyranum. Respondet: *Sagittæ potentis acutæ, cum carbonibus desolatoris, sagittæ ut feriat istiusmodi avis; carbones, ut assetur.* Hujusmodi avis fuit quidam vir Noddo nomine, qui in S. Arnulphum episcopum Metensem (cum is in processione publica dæmonem ex obessa pepulisset) multa garrere cepit, quasi et ipse homo esset ejusque domus malæ famæ hominibus pervia. Verum nocte insequente incendium domum ejus corripuit, ipsumque cum socio sceleris inflammavit ut totus ardere videretur et: *Aquas, aquas*, clamans in lecto se volutaret et vix tandem servatus sit, scribit Jonas abbas, in vita S. Arnulphi. Ecce vobis duas diaboli aviculas jam media ex parte assatas. Bene ergo psaltes dixit: *Sagittæ potentis acutæ*, quia sicut avis ex improvise jaculo configitur, ita et detractor. Sic enim Prov. CCXLI. dicitur: *Cum detractoribus non commiscearis, quoniam repente consurget peritio eorum:* et Ps. CXXXIX. *Vir linguosus non dirigitur in terra, id est, non prosperabitur: Virum injustum mala capient in interitu, in Græco et Hebræo est venabuntur: nimirum improvise paraphrasis Chaldaica: Venabitur angelus mortis et detruet in gehennam.* Præterea torrebuntur in carbonibus desolatoris: Hieronymus transfert carbonibus juniperorum, qui diutissime conservant ignem, et indicant ignem æternum. Videtis igitur mercedem vestram detractores, quam solvet vobis Dominus et auceps vester diabolus? Si non sufficiant ista, non auditis illud Isa. XIII. *Væ qui prædatis, nonne et ipse prædaberis?* Depredamini aliorum famam, nonne et ipsi depredabimini? Deplumatis alios, nonne et ipsi deplumabimini? Non auditis Dominum, Matth. XXII. *Serpentes, genimina viperarum, quomodo fugietis a judicio gehennæ?* Qui sunt hi serpentes? Audi Ecclesiasten, c. X. *Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet qui occulte detrahit.* Igitur si vos alios taxatis, carpitis, pungitis virulenta vestra lingua, deplumatis et assatis, quomodo fugietis a judicio gehennæ? Nonne et ipsa vos mordebit, deplumabit, assabit? Quocirca vobis avertat Deus.

ta suscipiant: si vero malum velis dicere, obturo aures Non enim stercus et cœnum accipere sustineo.» S. Joannes Alexandrinus patriarcha, si quis in ejus domo alteri detraheret, eum vel admonuit, vel in alios sermones deduxit. Si is nihilominus pergeret, finito colloquio mandavit famulis ut ne illum deinceps intromitterent. Argute etiam Xenocrates cum maledico quorundam sermone interesset, taxat obrectatores. Cum enim illi quærent, cur solus nihil diceret, respondit: *Quia me aliquando locutum esse ponit, tacuisse nunquam*, Val. I. VII. c. II. Denique, dicere poteris detrahenti, quod Christus Scribis et Phariseis dixit Joan. VIII. accusantibus mulierem adulteram: *Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem tollat*. Certe ibi unus post unum exibat. Nec dubium quin et detractor, quicumque sit, os clausurus sit, si hoc audiat. Cæterum non arguit ibi Christus Judæos peccatorum suorum in particulari, sed scripsit tantum peccata eorum in terra, ut quivis seorsum sua legere posset, non aliena (ut vult S. Hieron.) et ita quisque inspectione suorum peccatorum moneretur ad seipsum inspiciendum et corrigendum, non ad alium. Modeste simul et acute correxit de hoc vitio quidam eremita religiosos aliquos e cœnobia ad se venientes, apud Ruffinum Aquil. n. V. Cum enim eos lauta satis cœnula pro sua tenuitate excepsisset, postea, cubitum ducti colloquantur ante somnum, et inter alia: *Videte, aiunt, isti eremite lautius cœnant quam nos in monasteriis*. Inaudiit hoc eremita non procul inde quiescens: itaque mane ad alium eremitam dimissis, hoc unum commendavit: *Salutate mihi amicissimum eremitam et dicite illi hoc: Attende et olus ne irriga*. Faciunt hi ut jussi erant fideliter. Intellexit vero statim eremita hoc monitum et hospites suos, ut meruerant, parcissime tractavit pane arido et sale, modico oleo et aceto, interim crebris precibus eos fatigavit et usque in tertium diem detinuit, necdum dimissurus. Illi vero tam rigida hospitalitate saturi clam profugerunt. Dignum patella operculum fuit istud.

II. Viri industrii et timorati solent sermonem detractorum artificiose avertere et alio transferre, instituendo alia de re narrationem, ut sic detrahentibus et audientibus parcatur. Fieri enim interdum potest, ut magis errent correctores, quam ii qui corriguntur. Ita enim Socrates convivam aliquando suum corripuit, presente Platone paulo acrius. Cui Plato: *Annon satius erat, inquit, his illum privatim admonere?* Cui Socrates: *Nonne et tu rectius fecisses, hoc etiam mihi seorsim dicendo?* Plut. de discer. adulat. Quare consultius sæpe est, præsertim inter igno-

tos, sermonem alio transferre, id quod artificiose poterat et facere solebat Thomas Morus, martyr Anglus, dicendo, v. g. Dicat quisque quod velit, ego dico domum illam artificiose constructam esse et ab insigni architecto, ut refert Thom. Staplet. in ejus vita. Cum taurus ferociens hominem insequitur, pallium oculis ejus injicitur, ut dum ipse eum pallio luetatur, homo interim effugiat. Pari modo, si detractori diversus sermo objiciatur, detrahente desinet, subtracta detrahendi materia. Alii æque prudenter excusant saltem absentes, dicendo fieri posse ut fallatur is qui contraria narravit: quemadmodum id sibi et multis aliis in re simili usu venerit. « De religiosis, inquit Guilielmus Baldesanus, in stimulis virtut. I. V. c. XXIII. quidam vir nobilis male loquebatur, atque ecce commodum inter sermonem aspexit procul transeuntes duos. Isti, inquit plane sunt tales, quales depinxit. Cum proprius iidem accedentes caput aperuisset, agnovit alterum eorum esse eum ipsum, quo ipse olim nullum familiariorem et chariorem habuerat atque adeo tunc ita charum habebat ut seipsum: sed ignoraverat scilicet eum vite genus mutasse. Re igitur nec opinata sic repente percussus est, ut omnibus qui aderant, non sibi satis præsens esse videretur. »

III. Vultus severus et indignanti similis discutit detractionem. Ita enim Salomon, Prov. XXV. ait: *Ventus aquilo dissipat pluvias, et facies tristis linguam detrahentem*. Aquilo siquidem propter suam austeritatem et frigiditatem constringit nubes, ne in pluviam resolvantur: similiter ergo vultus audientis severior et indignans continet sermonem in ore detractoris ne effundere se audeat. Ubi ejusmodi vultus non est, effundet sese pluvia et labe detractionis asperget audientes. Audiamus quid in eum locum scribat S. Hier. « Si hilari, inquit, vultu audieris detrahentem, tu illi das fomitem detrahendi, si vero tristi hæc audias, discit non libenter dicere: quod didicerit non libenter audiri. Idem in ep. ad Nepotianum ait: Sagitta in lapidem nunquam figitur, interdum desiliens percussit dirigentem: ita sane detractori continget si obfirmatas ad sua verba repererit aurium, fores. » Nam si non essent, qui libenter audirent, non esset qui detraheret. Fiducines in tabernis non facile incipiunt accinere lugentibus aut severioris aspectus personis; sed iis solum quos vident leviores et ad lætitiã effusiores. Pari modo detractor non audebit facile enarrare cantilenam, quam ab altero advertit non libenter audiendam. Scribit auctor quidam nobilis (Guazo, de convers. civili.) tum maledicos pruritus linguæ sentire, cum nos sentimus aurium. Quare sapienter monet S. Hier. ep. ad Nepotianum: *Cave ne aut linguam aut au-*

*res habeas prurientes, id est, ne aut ipse alii detrahas, aut alios audias detrahentes.*

IV. Fuge si potes. Quis enim non fugeret, si latrones vel assassini in suam societatem rapere quem vellent? S. Bernard. serm. XXIV. in Cant. ait: *Non veniat anima mea in consilio detrahentium, quoniam Deus odit eos, dicente apostolo, detractores Deo odibiles*. Generosa est hæc fuga. Sic elephas, generosum animal, murem fugit et caprum; jusque conspectis abit, Pierio teste, I. II. hierogl. Cur non igitur vir generosus declinare audeat detractores, qui murium instar semper aliquid rodunt aut inquinant: capri instar foetent ac fruticum folia depascunt, bonam scilicet aliorum famam? Sed mundus pro dedecore habet, inquis, si quis fugeret hoc casu. Quid ad te? Si Deus id gloriosum reputat et præniat, quid tu curas mundum? Si judex causam tibi adjudicet, quid tu curas hominum opiniones, licet illi aliter sentiant? Annon malles relinquere pallium, quam pellem? Certe Joseph et adolescens ille evangelicus, ut se salvarent, vestem reliquere, ipsi fugere. Detractores trahere te in societatem peccati et gehennæ volunt; præstat igitur renuntiare iudicio hominum, quam Dei. Illud tollit solum pallium tuum, hoc vero pellem. Consultissimum porro est fugere consuetudinem eorum, quorum linguæ affrænatio comperta est, ut monet Sapiens, Proverb. IV. *Remove a te os pravum et detrahentia labia sint procul a te*: et Prov. XXIV. *Cum detractoribus ne misceris*. Gravis enim est censure S. Bernardi, I. II. de considerat. *Detrahente, aut detrahentem audire, quid horum damnabilius sit, non facile dixerim.*

V. Si evasioni locus non est, nec impedire potes, obtura aures tuas ne audiant sanguinem, ut suadet Isa. XXXIII. Quod ut facere queas, attende ad alia, vel cogita quid aliud: dissimula, quasi in alia cogitatione verseris. Sic Ulysses sirenes præternavigans, ne earum cantu illectus abriperetur ad suam perniciem (cantu enim sopire et postea mergere consueverant homines) malo se alligari curavit et sociorum aures cera obturavit, Homer. I. XII. Odyss. Perniciosus et illecebrarius valde cantus est detraçtio: siquidem laudari nos putamus cum alii vituperantur, vel certe defectus nostros vilipendimus: sed interim noxius valde, quia mergunt hæc sirenes animam. Alliga te igitur ad arborem crucis, et propone tibi firmiter, te non descensurum per consensum ad detractorum cantum; sicuti nec Christus descendere de cruce voluit, etsi Judæorum vocibus ad descensum provocaretur. Præterea obtura aures tuas, cera timoris Domini. Hoc enim suadet Ecclesiasticus, c. XXVIII. *Sepi aures tuas spinis et linguam nequam noli audire*. Quemadmodum enim horti sepiuntur spi-

nis ne pateat ingressus feris vel aliis direptoribus: ita et tu contra detractores sepi aures spinis, sive spinea Christi corona, recollendo passionem ejus et opprobria quæ propter nos audivit: sive spinis timoris Domini, quasi cum S. Hieronymo aures jam occupatas habeas, et audias semper tubam illam terribilem: *Surgite mortui, venite ad judicium*. Qua in re S. Machetes abbas diuturnis precibus hanc a Deo gratiam impetravit; ut in colloquiis et collationibus spiritualibus sive diurnis sive nocturnis nunquam obdormisceret, senex licet, ubi vero quid detractorium veniret in sermonem, illico dormire inciperet, teste Joan. Cassiano, I. V. c. XXIX. Quasi somnus quidam, isque præclarus esset, si per piã aliam cogitationem averteremus a detractione animum.

VI. Denique, si detraçtio aures suas verberet et audiri debet etiam a nolente, habes tamen adhuc aures alias, cordis nimirum, quas occludere potes ac debes, per displicentiam, sicut aquila contemnit corniculæ insultationem et obrectationem, teste Pier. I. XIX. hierogl. Audi Ecclesiasticum, c. XIX. *Audisti verbum adversus proximum tuum? Commoriatur in te, fidens quod non te dirumpet*, q. d. sepeli illud æterna oblivione: non est enim veluti vinum novum, quod dirumpit dolium nisi meatus habeat, per quos expiret: nec est instar partus mulieris, qui necessario emitti debet: propterea subjungit mox: *A facie verbi parturit fatuus*, id est, stulti sunt illi, qui putant se retinere non posse tale verbum; putant enim se parturire. Hujus rei figura habetur Exod. XXXVIII. ubi constituit Deus ut essent in templo certi lebetes, in quos candelarum emunctiones projicerentur, ne tetro suo odore adstantium nares offenderent, sed in aqua mersæ protinus extinguerentur. Voluit igitur insinuare, detractionum foetores mox ab audientibus obruendos et extinguendos, ne ad alios deferantur easque offendant. In vita ss. patrum dicitur: *Tege peccatum fratris tui, et Deus teget tuum*.

Exemplum recenset Obertus, in vita S. Dunstani episcopi, cap. XIII. XIV. apud Sur. 19. maii de Edmundo Angliæ rege, qui vocaverat ad aulam suam Dunstanum, ejusque opera fidelissima utebatur. Sed interim detraxere viro sancto apud regem invidi aliqui, quasi non sincere sed ad oculum tantum serviret, et in pectore odium regis faveret. Persuasus facie nimis a detractoribus rex, Dunstanum dignitate privat, et e curia pellit. Triduo post abit rex venatum; ubi cum cervum fugientem equo insidens insequeretur, et cervus per præcipitium ruens interisset, canes etiam et equus regis similiter ruptis habenis cursim ad præcipitium tendunt,